



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Consolatio Desperantium, Seu Conciones De Magna Dei
erga Peccatores serio poenitentes, comitate**

Bosquier, Philippe

Coloniae, 1617

II. Qvod Immisericors Dei Iram prouocet, & Deum sibi reddat aduersarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56142](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56142)

2. Reg. 16.

pectore enomuit maledicto, dici adsolet: *Egrede, egredere vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus uniuersum sanguinem domus Saul, &c.* Si quam ferant calamitatem lætatur mundus, non secus ac subrustici, dum caput lupi alicuius capti, vel interfecti, vicatim & domesticatim persicæ innixū defertur, lætari soliti sūt, sed nec baiuli indonati recedūt. Nesciunt se ab alijs, dum incommodi aliquid patitur, irrideri. Et sic quid gaudij quæso habere possunt? Nonnè iniqua prorsus sunt conditione, in quos omnes odio feruntur acerbo? Verè igitur his caræ hæc inhumanitas atque immanitas, ob quam tot molestijs, tot afflictionibus urgentur, immò ob quæ ipsam mortem subinde incurrunt.

*Quid in
epp. Heroi.
ep Dido-
nis.
Salust in
con. Cati-
lina.*

Exerces pretiosa odia & constantia magno,

Si dum me fugias (aut ledas &c) est tibi vile mori.

Annon hoc est velle succumbere sub tasce Elephanti, modo ipse necetur, vt Eleazaro contigit, Elephas? Annon hoc est ignem in sui exitium extinguere? Sic in Catalina Salustius: *quoniam quidem circumuentus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina restinguam.* Aut velle mori, vt Samson, modo Philistij ruina conterantur & comprimantur penitus: *morietur anima mea cum Phylistijs.*

I I.

**QVOD IMMISERICORS DEI IRAM
prouocet, & Deum sibi reddat ad-
uersarium.**

OMnes autè istæ angustia: fructus sunt & redditus, quos iis, qui zelo vindictæ ad aliorum perniciem nihil non tentant & conantur, persolunt homines. Quid etiam mercedis à Deo habeat eorum superbia & implacabilitas dispiciamus. Re pensulatius considerata video, quod de his quinque vel sex modis supplicium sumat: nimirum eorum vitam abbreviando, aut infelicem reddendo, & hic est primus: eos amicorum suorum albo ex-
pun-

pungendo, hoc est secundus: non communicando
ijs gratiam suam, vel eam subtrahendo, hic est ter-
tius: eos ab altaribus suis repellendo, nec audienti-
am iis faciendo, & hic est quartus. Eorum peccata
reuoocando seu ad suppurationem redeant iubendo,
& hic est quintus: Illis cœlum claudendo, & hic est
sextus. O damnosam inhumanitatem! ô arroganti-
am perniciosam! Seo hos sex inclementiæ, quem
tanti faciunt nobiles ac duellorum concitatores, fru-
ctus, solertius excutiamus.

Dixi primò quod ob eam Dominus Deus aut vi-
tam abbreviaret, aut reddat infelicem: Probo, nam
fomnia imprimis, molestiæ, cordolia, quibus ob cau-
sas à nobis prædictas imperuntur & videntur, vitam
humanam omnium medicorum sententia contra-
hunt. In hanc sententiam etiam omnium Physico-
rum facile princeps propendet Salomon: *Animus*
gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsecat ossa. *Prou. 17.*
Huic inter alias causas. Dij & beati immortales di-
cuntur, quod contenti viuant & sine tristitia: Et ali-
qui dicuntur viridi esse & vegeta valetudine, mira
specie & corporis habitudine, eò, quod in dies viuant
bonos dies ducant, ad instar Regeri boni temporis,
nihil illis cordi sit, nihil de debitis persoluendis sol-
liciti. Et facetus pœta Martialis dixit, quod inter
alia quæ vitam faciunt longiorem & florentiorem,
sit spiritus sedatus & tranquillus, vacas omni mo-
lestia, & qui sine lite maneat:

Vitam qua faciunt beatiorum,

Incundissime Martialis hæc sunt:

Lic nunquam; toga rara; mens quieta, &c.

Mart. l. 10

epig. epig.

Et antiquus ille scriptor Pacuuius, versu quodam
insinuat molestias esse & tristitias, quæ senium in-
ducant, mortemque citius hominibus consciscant;
corpuseq; mecum, inquit, tali maxore, errore, macroue senes.
Et planius adhuc, disertius & facetiùs Plautus, quan-
do ut agnum macie confectum, & pelle tantum ac
ossibus constantem exprimat, curiosum illum vocat
& solitudine pressum:

Etiam agnum misi

Eu.

Eu. quo quidem agno, sat scio
Magis curiosam nunquam ullam esse bestiam.
Me. Volo ex te ego scire quis sit agnus curio.
Eu. Qui ossa atq; pellis totus est, ita cura macer.
Quum extrainspicere sole etiam vino licet,
Ita u pellucet quasi laterna tunica.

Igitur sollicitudo, ut vult Plautus, exsiccet homines, & humore radicali consummato, mors sequatur necesse est.

Porro homines vindictæ auidi, immites & immisericordes sollicitudinum ac pœnarum multitudinem circumueniuntur, ut plus satis comprobauimus, unde sapere vita mulctentur oportet, & hoc Deo ita disponente. Deinde bonitas ipsa diuina, his succidit vitam filium citius, aut ex improuiso hinc eos euocat, ne iurata aut promissa homicidia, admittat, vel certe violenta morte tolluntur ab ijs, quibus exitum mouebat, & machinabantur, & sic in eam, quam ipsis parabant foueam prolabuntur, & potum quem offerre volebat, ebibunt: *Incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem eius iniquitas descendet.*

Psal. 7.

*Virg.
Bucol.*

Pallas quas condidit arces

Ipsa colat.

Equidem Propheta Dauid manifestè hunc in modum loquitur: *Viri sanguinum & dolosi, non dimittunt dies suos. Noli amulari ut maligneris: quoniam qui malignantur exterminabuntur.* Dei constitutio & decretum est antiquum, post die diluuij Noe pronunciatum: repetitum & confirmatum à Christo, in Sancto Petro, nimirum: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Exemplum ipsius Cain, primi totius mundi homicidæ suffecerit, qui tandem à Lamech interfectus est, nam bestiam esse ratus, dumofum & frondosum, prostrauit. Vixerat autem Cain vitam miseram, & terroribus plenam, & quod promittus erat, summa cum formidine præstolabatur.

*Virg. in
Bucol.*

Tales quod meruerunt, semper expectant, Virgilius.
Torua leana lupum sequitur, lupus ipse capellam.

*Ad generum Cereris, sine cade & sanguine, pauci
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.*

Secundo expunguntur vltiores & iniuriæ vindices
ex albo amicorum & seruatorum Dei, quod verum est
quandiu in tali statu persistunt. Deus siquidem eos
dumtaxat in suorum filiorum catalogum refert, qui
mâsuetis animalibus sunt perfimiles, vtpote ouibus,
agnellis, arietibus, quæ in iram non sunt procliuia.
Talis fuisse dicitur Rex Charislaus, fuit quippè tam
mansuetus, vt etiam in improbos, & impios motus
iræ non posset concipere: hæc quoque animalia ad
vindictam sunt tardissima: *Pasce agnos meos, pasce oues
meas.* Dicebat Christus Petro, agnos dicit, non leo-
nes, solus etenim Christianus qui innocenter viuitt,
integrè, religiosè; ac multa tranquillo & elato per-
fert animo, nec vltor vult esse iniuriæ, dignus est nu-
mero suorum electorum adscribi, dignus qui libro
vitæ inseratur, dignus librum aperire & soluere septè
signacula eius, vt in eum referatur: *dignus est agnus a-
perire librum, & soluere septem signacula eius.*

Nunquam huic libro leones ascribentur, aut si ad-
scripti fuerint, aut adscribentur, oues namque sunt
in baptismo, & secundum præsentem iusticiam, si-
mulatq; in leones immutabuntur, & laruam erexe-
rint, ac ouinam pellem excusserint: *Veniunt ad vos in
vestimentis ouium,* de libro hoc electorum delebun-
tur. Et vbi cum alijs ad iudicium conuenerint, &
Christi dextram cû ouibus occupauerint, Dominus
faciet quod die quodam fecit Diogenes, qui iocan-
do philosophari, officio iudicis ac tortoris fungi, ac
dente theonino alios solitus erat arrodera. Hunc
philosophum memorant quadam nocte voce clara
& elata in hunc modum dixisse: *Heus homines, venite
qui homines estis: sic Christus in die magnæ solen-
nitatis: Si quis sitit veniat ad me.* Et alias: *Venite ad
me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Cum
verò ingens hominû turba ad Diogenem accessisset,
fustibus eos expulit dicēs: *homines, nõ purgamëta voca-
ui.* (tan-

Matth. 7.

Diog. La-
ert. in li. 6.
de vitis
philos.

Matth. II.

(*tanquam purgamenta huius mundi facti sumus usque
adhuc*, ait beatus Paulus ferè in eundem sensum) non
homines eos qui sceleribus essent onusti, reputans,
sed sapiètes & piè sanctèq; viuentes, quorum percen-
tuus est numerus. & vix è millibus vnum reperias.

Qualem vix repperit vnum

Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Eodem modo quando supremus ille Iudex in tuba
& in voce Archangeli clamabit, suumque terribile,
Venite, personabit. *Venite mortui ad iudicium*, nunquid
& fustem corripiet, quo iracundos istos homines,
vindices, duellatores, bestias potius & feroces leo-
nes, quam homines & agnos, eijciat, excludat, exter-
minet, & sempiternis cum demonibus flammis co-
coquendos addicat: In ipsos intonabit illud: *ite ma-
ledicti in ignem aeternum*. Diceretque eis, se non vocale
raptores, inhumanos leones, & vrsos inexorabiles,
aut tigrides implacabiles; sed agnos, oves, arietes,
homines patientes & mites ad instar agnorum, sui
similes, qui nunquam in sua passione submurmura-
unt aut obstrepunt, *sed tanquam ovis coram tonante
obmutuit*.

Vult igitur Dominus Deus in suo consortio ag-
nos, aut columbas: nam & his nominibus suam ex-
ornat ecclesiam, & quamuis animam particularem:
*Vna est columba mea. Oculi tui columbarum. Veni colum-
ba mea*: Neminem vult candido suo electorum libro
adscribere, nisi columba referat similitudinem: *Esse
te simplices sicut columba*. Nisi qui sit sine felle, & ne-
mini noceat sicut illa: nisi qui amnistia perfectiora
Atheniensium iniurias sibi illatas, & obliuione volun-
taria conterat vt columba: de qua dicitur, & in dies
singulos videre est, quod etiam si quis è nido primos
suos pullos exportet, statim tamen alia incubat ova
in eodem nido, ac excludit ea. Eodem modo semper
iniuriarum in nos admissarum memoriam debemus abijcere
Vsque septuagies septies, quamdiu inter viuos nu-
meramur, etiam singulis diebus, etiam singulis ho-
ris.

Rursus columbæ statim placantur : nam plumbeus iras gerunt. statim peracta velitatione, se exolculantur inuicem, & fortior refurgit amor.

Qua modo pugnarunt iungunt sua rostra columba. Terentius in And. act. 3. Scen. 3. *Amanium ira amoris redintegratio est.* Ouid li. 2. de arte.

Etiã Dominus in suo electorum catalogo alios non vult homines, quam placabiles, quam qui iras columbinas, irasque plumeas habeat, non recipit eos qui iras gerunt plumbeas, oblongas, & quæ concoctionis sunt difficillimæ. Plautus ubi supr.

Vult Deus Noe columbas, quæ statim in arcam reuertantur, non coruos sanguine adusto & cholericis denigratos & cadaueri inhaerentes. Hoc est, homines vult Deus, qui cū semel à ratione deslexerint, & quasi extra se fuerint (homo quippè, vt sapiens quidam ait, extra corpus suum est, cum irascitur) statim ad seipos redeant (memineritis eorum quæ alias in illud: in se autem reuersus, à nobis dictum est) nec cadaueri adhaereant. Pub. M. de virt.

Hoc est non foueant animum se vindicandi, & moribus proximum dilaniandi, & hoc tanta cū ferocitate, vt quis dicat vtrumque bestiam esse & oppugnantem propter furorem, & patientem propter patientiam, qua armatus iusq; deq; habet quod ei ab agente irrogatur. Vide tom. nostru de panit. flg. prodigi ser. 7 p. 1.

Deus bone quam deplorandus est eorum status, qui digni nō sūt libro huic manu Dei cōscripto inseri & inscribi? A memoriali & pugillaribus societatis celestis expungi quam miserum? Immo quod quis inscripserit aliquando ei fuerit, & postea deleatur, ipsius Dei manu propria, quid dici potest luctuosius? talis duplici pudore suffundatur necesse est: ne incipiat cum rubore nouissimum locum tenere.

Turpius eicitur, quam non admittitur hospes.

Ouid. l. 5. Trist. 6. leg. 7.

Sanè Moyses hoc plurimifaciebat, quando quidē nihil maius ad Deum placādum ac efficacius esse putabat, pro peccato à populo Israelitico admisso, qui populus sexcentorum erat hominum pugnatorum absq; foeminis & impedimentis, quā Dominum Deū his affari verbis: *Obsecro, peccauit populus iste peccatum*

X

maxi-

maximum. *Fecerunt q̄, sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dale me de libro tuo, quem scripsisti.* Et S. Paulus qui pro fratribus volebat anathematizari. Et quare non? Si olim loco summi honoris ponebatur, cum quis in album civium Romanorum referrebat, & aliquando quidam in illud se ingerere furtim nitebantur. Si proci & amantes inter magnos honores connumerant, quādo eorum nomina libro alicuius honestæ Dominiæ inscribuntur. Et homo honestus quando in albo amicorum alterius excellens hominis collocatur. (sicut non exigui honoris apud me locum habebat, cum vel unam epistolam à charissimo meo Lipsio accipiebam) quanto optatius nobis debet esse & desiderabilius, ut in libro Domini Dei nostri inferamur.

Deinde Dominus noster ac saluator Iesus licet magna charissimis discipulis suis promississet, unde ingenti merito perfundi debebant lætitia. Ut quod essent super serpentes & scorpiones ambulaturi non secus ac super rosas aut violas, immò absq; nocumēto omnē Satanæ potestatem fracturi, tamen subiecit eos in hoc non debere gaudere, sed in eo quod nomina sua scripta essent in cælis, nempe in aureo beatorum libro, ut hinc nos instrueret quanto per se nobis in eo erudendum sit, ut etiam adscribi valeamus: *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur gaudet autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis, per magnū igitur hoc est quando quidem tanto honori & tæta præfertur potestati.*

E contrario. Qui non inscribuntur, aut intelligunt se indignos tali honore, vel inscriptos quidem fuisse, sed suis demeritis erasos esse est quo merito indoleat & deposito omni gaudio summū in merorem capiant. Perinde est ac si Dominus aliquis exautoraretur, & armis cum dedecore exueretur, ac à nobiliū consortio disunctus, ad gregem infimæ conditionis hominum relegaretur: *meus me ordo irideat: Asini me mordicus scindat, boues incurserint cornibus.* David propheta quāsi hoc faciat non obscure insinuat, dicēs quosdā cōsecratos

Luc. 10.

Plant in
Aulula-
ria.

atos homines de libro vitæ delendos: *Deleantur de libro viuentium. & cum iustis non scribantur.* At animæ crudeles, inexorabiles, implacabiles, vindictæ amarices, nunquam huic libro vitæ inscribentur, vel si inscriptæ fuerint, tandem expungantur, & inestimabile damnum! ô ferox vindictæ appetitus quatum his miseris animabus adfers nocuenti: quam es perniciosus! quam exitiosus! Tertio hæc inclementia & immisericordia remoram gratiæ diuinæ nobis comunicandæ iniecit, & efficit ne in nos descendat colûba illa, quæ quodam die, nimirum in Christi baptismo videte S. Ioanne Baptista e cælo super ipsius Christi caput mansit, & si in nos descendat, hæc tamen crudelitas eam proinus eijcet, ac eadem nulla interposita mora abscedit & auolat, hoc est gratia Sancti Spiritus nec vult, nec potest eiusmodi inhabitare animas. Dubitatisne? Propheta Isaias testis est, cuius ore sic præpotēs ille Deus loquitur: *Super quem requiescit spiritus meus, aut ad quem respiciam, nisi ad pauperculum. & contritum spiritu & tremementem sermones meos?* Isai. 66

Ad hæc si columba libenter cum hominibus conuersatur, apud eos nidificat, ouis incubant, excludunt pullos, eosque enutriunt, sic Dominus Deus: *deliria enea esse cū filijs hominum.* Ita est, sed cū filijs hominū, non cum filijs leonum omni humanitate exutis. Ita est, sed cū ijs qui sine felle sunt & rancore, ad puerorū instar, *quasi modo geniti infantes.* Dicitur, & sic testatur Plinius, quod osculo columbæ concipiunt, saltem hoc modo suum excitent amorem: sic Spiritus S. ab eiusmodi animabus concipitur, quæ totum mundū perfecta charitate exosculantur.

Qui fieri potest, vt Spiritus sanctus qui est ipsa bonitas eique attribuitur, sicut patri omnipotentia & filio sapientia, in animabus malignis ac crudelibus sedem colloget ac domicilium? Qui potest fieri, vt Spiritus sanctus qui vnctio spiritualis vocatur, eas inhabitet animas, quæ eò omnia sua consilia inflectunt, vt se vleiscantur, & aduersarios suos conterant penitus & opprimant?

Sicut similis simili gaudet, & aues vnus coloris simul volitant, aues concolores simul volant. Et vnus artis opifices facile conueniunt: beatus Paulus cum esset scenofactoria artis, & Athenis Corinthum se ferret in domo Aquilæ & Priscillæ, erant siquidem eiusdem artis, hospitio exceptus est. Sic spiritus bonitatis & clementiæ gaudet bonorum & elementiam consortio. *Non in commotione Dominus, ait Elias, non in locis tumultuosis, sed in aura, in sibilotenui: Et post ignem sibilus aura tenuis.*

3 Reg. 19.

Ambro.

Varro de
re rustica
lib. 3. cap. 1.

Hæc sancta columba nuncium defert & litteras secretorum Dei, vt olim columbæ theatrales Romanorum (de quibus Varro:) aut vt columbæ Ægypticæ & Syriacæ. Hæc colūba quæ auribus cordis instillat vt scribere, dicere & viuere debeamus, vt olim auri Gregorij magni inspirabat, & quæ in medio cordis nostri nos sine murmure informat & edocet: *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem. Docebit vos omnia & suggeret vobis omnia quacunque dixerò vobis.* Hæc, inquam, sancta columba docere non vult in locis tumultuosis, in quibus nil nisi rixæ, contentiones, percussiones sunt & sanguinis humani effusiones, sed in academijs docere vult pacatis & tranquillibus, ac ab omni tumultu semotis: *In pace factus est locus eius.* Quando in medio Apostolorum & aliorum confedit, illi non minus corde, quam corpore coniuncti erant & consociati, in pace erant, sine tumultu, vel cum eo duntaxat, qui ab eorum poterat orationibus excitari.

Varro de
re rust.
lib. 3. ca. 7.

Columbæ mundæ sunt & mundiciei amatrix, nec immundis cibis vescuntur, cadauere nullo: & omni solitudine finem è nido eijciunt, & vt idem faciant pullos suos edocent, teste Aristotele. Eodem modo Spiritus S. qui specialiter sanctus appellatur inter tres sanctissimæ Trinitatis personas, & totius sanctitatis est origo, in anima immunda & subdita peccatis haudquaquam requiescit, qualis est anima crudelis, implacabilis, & sanguinis humani sitibunda. *Non habitabit in corpore subdito peccato, Accipiet nullas sordes.*

Sordida turris aues. Dulcedinis est spiritus: Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & fauū. quomodo igitur suam sedem in anima feroci, in anima felle & amaritudine plena fixerit.

Si apes in eum locum non cōueniunt & cōuolant in quo Echo habetur, hoc est, vocis vel soni repercussiones, nec ibi mellificāt. Quomodo Spiritus sanctus animabus nostris illabetur vt suorum charismatum & gratiarum dulcedinem degustemus, quæ assiduum multuantur, & plena ac aspera voce nō nisi iniurias percrepant, & reperunt, nec solū ad instar Echus, quæ se ipsiusculè minus soni vel vocis refundit, quam acceperit, sed plus sapius quam iniuriarum, & contumeliarum perpeffarum veritas ferat; de culice Elephantum faciunt, de vnitare numerum ingentem.

Hæc sancta columba dum gemit, etiam gemendū esse pro peccatis a nobis admisis nos instruit. *Ipsè Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Quomodo hæc columba mansuetudinis amatrix, & pacis nuncia, hic, inquam, Spiritus sanctus eas animas in quibus habitat, cooptare potest, quas nunquā vitæ transactæ pœnitet, & quæ nullius criminis se conscias esse putant, vel si pœnitet, gemuntque, hoc fit quod necdum inimicis suis satis gemitus occasionem præbuerint: aded sunt implacabiles, vt adduci non possint, ad oscula pacis & concordie conferēda. *Salutate inuicem osculo sancto. Hi homines quomodo 2. Cor. 13. se discipulos illius caelestis magistri esse veditare possunt, qui diuina labia sua impijssimi Iudæ traditoris labijs permisit contegi? Tales igitur odit & execrat animas Spiritus sanctus, nec earum patitur consortium.*

Columba tanto accipitris aius carniuoræ ac bellicolæ timore percellitur vt peruigil, es agat excubias Visa eius vmbra citissimo seu volatu refert, & in suum inuolat antrum. Columba mystica, Spiritus S. yellerne iis assistere hominibus, qui ad instar accipitris viuunt, bello omnes lacescentes, & diuexantes, non secus ac accipiter minutas aues? minimè gētū.

Ut Spiritus sanctus, sic & Pater & Filius: nam ad o-
lias non veniunt animas, nec in alijs habitant, quam
in ijs, quæ mandatorum suorum sunt obseruantissi-
ma: *Si quis diligit me, sermonem meum seruat & Pater
meus diligit eum, & ad eum veniemus & apud eum man-
sionem faciemus.* Et quomodo Deus pacis, princeps pacis
Deus qui in hoc nasci noluit mundo, nisi pax esset
placidissima ac generalissima, & omnium armorum
tumultus penitus sopitus? *Dum medium silentium to-
nerent omnis, omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus
venit.*

Deus, qui serid suis iniungit discipulis ne prius do-
mum quampiam ingrediantur quam dixerint *pax
huic domui* Deus qui in cælos noluit ascendere, nisi
prius inter Deum & homines pace composita. Quo-
modo Deus pacis cum sit, inhabitaret animas tam
bellicosas, tam turbulentas, tam seditiosas, tam san-
guinarias? Vbi pax, ibi Deus, ait pusillus grex, immò
oraculum diuinum: *idem sapite, pacem habere, & Deus
pacis & dilectionis erit vobiscum.* Pace Deus, vt magno-
te ferrum, in animam attrahitur, palea succino, aquæ
foliis æstu.

Si tanta bonitatis est supremus ille rerum parens,
vt quoties in peccatores animaduertere debet, inge-
milet: *heu consolabor de hostibus meis?* ait per Prophe-
tam. Si dum Ierusalem euertere & solo adæquare de-
bebat, illachrymatur. Immo 40 aut 42. annis ante
illius ciuitatis excidium: *Videns Ierusalem fleuit super
illam.* Si quoties iustitiæ suæ effectus obueniunt à la-
chrymis non potest temperare, & animi sui statum
non potest non inflectere, vt quando vidit Lazarum
iam mortuum, & iam foetidum, quo verus peccati
Adæ effectus designabatur, *infremuit spiritu: turbatus
semetipsum fleuit.* Si sit alienum opus ab eo, vindictam su-
mere, quis eum in eas venturum animas, quæ vindic-
tæ æstu incenduntur, dicere præsumat, quæ non nisi
sanguine pascuntur, quæ sanguinis humani effusio-
ne ac laniena, vt canes omnis, & vultures cadauere
oblectantur.

Credite quod si agnus brucus tonitrua pertimescit: agnus Dei, qui sustulit peccata mundi. multo magis odit, aspernatur, execratur dissensionum & tumultuum humanorum procellas. Deniq; vnaquæq; Sanctissimæ, ac indiuiduæ Trinitatis persona, a multis annorum centurijs per Prophetam Isaiam prædixit, non super alium se aspecturam, quam *super pauperulum, & contritum spiritu & tremētē sermones suos.* Pauperulus est, & contritus spiritu, qui flexibilis est, placabilis, exorabilis, & in quem illud congruit: *Misericordia motus, hæc de tercio.*

Isaia 66.

Quartò summus ille rerum rector Deus immites & immisericordes ab altariibus suis remouet & arcer, eorum preces non exaudit, oblationes rejicit, etiam si magnæ sint illæ & pretiosæ. *Si ergo offers munus tuum ad altare, ait ipsa veritas, & ibi recordatus fueris, quin frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuum.* Ut enim infidelium victimæ, sic & eorum qui sunt sine misericordia, non possunt non Deo esse abominabiles: *Victimæ impiorum abominabiles.*

Hoc adumbrabatur & præsignificabatur in veteri testamento, quando præcipiebat Dominus Deus, vt omnes aues quæ ad uncos haberent vngues, præda & raptu viuerent, ab eius sacrificijs amouerentur, eo quod carnibus pascerentur, & auium mundarum sanguinem effunderent quo vescerentur. Quis etenim non videat quod figura hæc Dominus Deus nos instruere voluerit, eas animas in eius conspectu immundas esse, & indignas, quæ sibi in sacrificio offerantur, quæ cholericæ sunt, & quæ non nisi rancorē fouent, ac expetunt vindictam?

Immo minus sunt sacrificijs dignæ quam aues istæ carniuoræ & prædæ inhiantes: nã vindicta hominib; a Deo prohibetur: nõ prædatio auiibus: rursus eorum vindicta magisterio & dominio liberi arbitrij eorundē substernitur: at hæc prædatio auiibus est cõnatura-

Y 4

lis: Quem

Quem fundunt sanguis humanus est, & sibi similiū quem fundunt aues beluinus est, & plerunq; animalium diuersæ speciei; nam mea quidem sententia nec milui, nec vultures sese inuicem vorat & deprædatur, sicut nec lupi. Aues sunt mansuetæ & placidæ, quas vult sibi offerri Dominus Deus: *duos turtures aut quos pullos columbarum.*

Inter quadrupedia verò quæ in sacrificijs postulant, sunt vacca, vituli, capræ, & ante omnia arietes & agni, ac specialiter agni anniculi. Rex enim animalium mansuetorum est agnus; ut hinc discamus homines eos, qui moribus sunt facillimis & suauissimis, quique iam ad iniurias & contumelias occalluerunt, posse dominum liberè oraturi & sacrificaturi accedere.

Quid etiam denotasse arbitramur, quod in veteri testamento iusserit Deus sel ab ijs victimis quæ illud habebant auelli, antequam in holocausto cremarentur? Quid causæ est, quamobrem mandato Dei Nazarei, qui specialiter eius obsequio mancipati erant, debuerint se iuramento obstringere, quod nunquā vinum, aut acerum esset gustaturi, nisi quia, quicumque cupiunt se ad pedes altarium prosternere, ut se Deo offerant, aut quippiam aliud, sine amaritudine accedere debent, sine rancore, & sine earum iniuriarum acrimonia, quæ in ipsos coniectæ fuerit? Eam ob causam, Saluator noster prius coram discipulis, ac ipso Iuda traditore quam crucis altare adiret, flectere genua voluit; Et cum in altari crucis esset, pro ijs à quibus immolabatur cum tanta instantia orare, ut eius sacrificium non potuerit non esse multo acceptabilius.

Quod sacrificium Cain aded fuerit Domino Deo abominabile, causa sine dubio est, quod adhuc ira in fratrem permotus esset, ab eo quippè articulorum quorundam atheismi arguebatur; offerebat etiam Domino Deo non pinguiora & meliora, sed viliora & peiora, arbitrabaturque omnem oblationem Deo factam esse superuacaneam, & quamcunq; ipsi Deo sufficientem.

Non est quod quis aberret (dilectissimæ animæ) si adhuc aliquid nobis fellis est, quo spiritus cundo ad altare commoueatur, preces nostras non æquis auribus excipiet Deus, sed eas respuet & auersabitur. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Sed qua fronte a Deo creatore tuo victimis tuis audebis tuorum criminum indulgentiam efflagitare, & pacem postulare, si ramum oliuæ in vna manu habeas, in altera strictum gladium, aut manuale tormentum cõtra inimicum tuum, quo cum interficias iam paratum & dispositum? *Homo homini seruat iram, & à Deo quarit medelam?*

Ignoscendum planè est, nisi velimus ab altaribus diuinis eijci, excludi, exterminari, & si ad ea, tanquam ad asylum & refugium contra offensas, velimus trãsfugere: *demus alienis erroribus veniam, ut nostris impetremus.*

Eccl. 31. *Relinque proximo tuo nocentite, & tunc deprecanti soluentur peccata tua.* Hinc ecclesia catholica pacem mittit, & sanctum pacis osculum ad populũ, antè sanctam cõmunionẽ Et certò canone prohibet ne homines litigiosi ad sacros admittãtur ordines.

S. Ioannes Chrysostronus dicit, quod mysterium hoc pacis signet nos omninò puros esse debere, etiam à leuioribus culpis & cõtentionibus: *Inhumanus accedat nemo, nemo crudelis & immisericors. Hoc enim mysterium nõ à rapina tantum verum, & ab omni vel tenui inimicitia purum esse penitus iubet.*

*Chr. hom.
60. ad pop.
Antioch.*

S. Ioannes Eleemosynarius, illustris ille Patriarcha Alexandrinus, quondam nobis reliquit memorabile exemplum: nam cum quodam die sacrum faceret, & in memoriam rediret, quod quidam clericus animo esset in ipsum offensore, eo quod ob demerita ipsum à diuinis suspendisset, rectè cum à sacris donis velum auferretur, Diacono iniunxit petitionẽ coniunctam resumeret, & tantisper recitaret donec sese ad altare referret. Ille interim tanquam naturæ necessitate vrgeretur (verè siquidem summa anxietas est, & horribilis ventris dolor, cõscientiæ remorsus) discessit ab

altari, & praecepit clericus ille altarium adesse. Quod cum adfuisset ad eius pedes protinus S. ille Patriarcha se deiecit, & ab eo veniam videntibus omnibus petijt: Hoc facto commotus clericus etiam se ad eundem Patriarcham genua prodoluit. Et cum fratri esset reconciliatus, redijt ad altare, & magna cum alacritate & fiducia cecinit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

*Scimus in
vita eius
v. 1.*

O exemplum aeternam memoria dignum, hoc instrumitur liquidissime quod inutiliter is Deo sacrificium offert, qui fratri suo bellum infert. Deus eum hoc tam pridem nobis per Prophetam suum procius Evangelicum Isaiam verbis expressissimis ad modum cuiusdam dialogi praenunciavit. Et hoc eo in loco ubi Jacob, seu populus Israeliticus a Deo petebat, quare permisisset eos ieiunare, & dignatus non esset eos benignis oculis adspicere? Quare permisisset corpus suum maceraret, & simulasset se acriter:

Isa. 58.

Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliuimus animas nostras, & non respicisti? Quibus Dominus in hunc modum respondet: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & mea relinquitur. Et omnes debitores vestros respicitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutis pugno impie. Nunquid tale ieiunium est, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Approbo ieiunia, sed quando carnis appetitus pecuinos refrenant: quando anima sobrietate, parcitate, ac corporis sinceritate redditur temperatior, magis sobria, sapientior, placabilior, & ad misericordiam propensior. At ieiunia vestra lites & contentionibus permixta sunt. Discedite igitur, nolite sic ieiunare, nolite in proximos immittes & implacabiles esse, si vultis vt vos exaudiam.

Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis: solue fasciculos deprimentes. Hoc est, vos creditores & offensi, euilem absolutionem liberaliter vestris debitoribus tribuite, & ijs qui in vos iniuriosi fuerunt remissionem indulgete. Eos hoc prelo, quod conscientias aggrauat, eximite, & umore

vindicta vestra liberate. Tunc erumpet quasi mane lumen vestrum. Et sanitas vestra citius orietur. Tunc inuocabitis & Dominus exaudiet vos, clamabitis & ecce aderit.

Vide Hier. Ofor. pa. r. i. ad hunc locum. I. Ier. 28.

D. Bern. ser. 3. in Psal. Qui habitat: nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas verba ipsius. Ecce in die ieiunij inuenitur volumus vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie, nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, ut audiat in excelsis clamor vester. Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi: dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes: dimitte eos qui confracli sunt liberos, & omnis dirumpe. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam, iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabo & Dominus exaudiet, clamabis, & dicit: Ecce adsum. Hæc de quarto.

De quinto dicimus quod peccata fauorum hominum, sanguinariorum & truculentorum etiam si remissa prius fuerint, tamen propter eorum ingratitude, ad computationem reuocentur. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Huius quod dicimus parabola illius serui, qui debebat Regi decem millia talenta fidem facit luculentissimè. Sed ad aliud inconueniens intolerabile veniamus.

Ecc. 28.

De sexto quam damnosa sit, exitiosa, ac perniciofa hæc inhumanitas & crudelitas vel hinc fit perspiciu, quod aditum, ad regnum caelorum omnino præcludat. Sic attestatur Propheta David forma dialogi cuiusdam dum ad instar discipuli interrogat, ut magister Deus responderet: Domine, sic discipulus, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Respondet magister Qui non egit dolium in lingua sua: nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Qui igitur his contraria operantur, ad illud non subleuabuntur. Si ita se res habeat, quò tantem in omnem æternitatem sint perrecturi, cum

Vatablus annot. 5. ad Psal. 14.

cum

cum tantum hæc duæ æternæ mansiones futurae sine Paradiso nimirum & inferno, quisquis facile conceperit. Dominus exaltabit mansuetos in salutem. Quia etiam Dominus ac Saluator noster parabola Virginum fatuarum hoc nos docuit euidentissime: nec enim aliam ob causam repulsam passæ sunt, quam quod oleum, hoc est misericordiam & clementiam, non habuerint in lampadibus suis. Hinc factum est, ut clamantibus, & petentibus sibi ad domum nuptialem dari ingressum, dictum sit: *nescio vos*: sic ferreis dicitur, immitibus, implacabilibus hominibus.

Sed quid aliud etiam innuit redemptor noster in vna suarum beatitudinum dicens: *beatos esse mites* quia hereditabunt terram? terram dico, aut corporis nostri quam inhabitat anima: mitiores siquidem, & in proximum humaniores, carnem spiritui obedientiorem & subiectiorem habituri sunt: aut hanc

Matth. 5. quia hereditabunt terram? terram dico, aut corporis nostri quam inhabitat anima: mitiores siquidem, & in proximum humaniores, carnem spiritui obedientiorem & subiectiorem habituri sunt: aut hanc

Sal. ad *Cesarem.* *Qui benignitate, ac clementia imperium temperauerit, his candida. Et læta omnia: etiam hostes æquiores, quam alijs ciues.* Vitam etiam hic ad multos perducunt annos, cum ob summam animi, qua fruuntur tranquillitatem, tum etiam ob securitatem, nec enim aduersariorum formidine concutiuntur. Vel denique certam viuentium, ad quam mites in ea perpetuo mansuri, assumentur. S. etiam Basilus hæc Christi promissionem pertractans, paucis quidem sed acutis verbis asserit. *Cælos enim Ierusalem non esse bellatorum spoliū, sed mansuetudine præditorum hominum speratam hereditatem.*

D. Basil. *Cælos enim Ierusalem non esse bellatorum spoliū, sed mansuetudine præditorum hominum speratam hereditatem.*

Quid? quod & ipse Tragicus Seneca illud non minus ferè Christianè, quam nos, eloquitur?

*Quisquis est placido potens,
Dominusq; vita seruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium gerit,
Animoq; parat, larga per mensus, diu
Felicis aui spatia, vel cælum petit,
Vellæt a felix nemoris Elysij nota.*

Et ut ingenuè loquat, rationi admodum consentaneum

ranum est, vt pius ac clemens Dominus suum eiusmodi hominibus pietatis, ac misericordiae expertibus obstruat paradisum: Rei siquidem sunt laesa maiestatis, ipsius Dei auctoritatem, & maiestatem vsurpantes, seque de inimicis suis propria auctoritate vindicantes, contra ordinationes, & inscriptiones expressissimas, mille & mille locis publicatas, & affixas. Si etenim maiestas humana dum violatur, violatori vitam auferit, aut à patria per exilium perpetuum vel ad tempus, eijcit: Nunquid ratio postulat, vt animæ illæ immanis crudelitatis reæ laesæ maiestatis, vita priuètur æterna, ad quam erant, nisi peccatum eis sensum ademisset, destinatae? Adhuc minoris est seueritatis vnum in suum non admittere regnum cum in eo nō sit: quam vnum qui in eo sit, in exilium pellerè. Par quippè est hic & ibi ratio. Quid facerent eiusmodi spiritus si beatitudine donarentur, eorumque potestas accresceret, si dum hic vixerunt tam portentosa fuerunt audaciae ac praesumptionis? Pomum discordiae, inter ipsos caelicolas perpetuò, nunc ob hanc, nunc ob illam causam, iactitarent, nuptias caelestes perturbarent, non secus ac pomum, quod Eris dea discordiae inter Deos Deaque, dum publicè in mensa sese exhilaratèr, cum hac inscriptione, proiecit, *trium pulcherrima*, nam omnes illos conuiuas commouit, & postmodum, totum orbem bello Troiano, cuius origo hoc fuit pomum.

Vid. Lucianum.

Spiritus illi non quiescerent: os distorquerent, nullo non tempore fronte essent caperata, mutirent, infrederent, steriderèt dentibus, ac in alios vt canes irruerent, imperu violento: *foris canes, foris canes*. Eumenides essent & furiae caelestes, quibus boni in caelis, vt mali in abyssis infernalibus exagitarentur:

Ving.

Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.

Quid? an tales animæ in caelos importarentur? Plebs ipsa & infima multitudo sibi imaginatur, quod daemones ipsi eiusmodi respuant homines, Nunquid intellexistis quod de milite quodam demortuo, qui sub Chiliarcho quodam seu tribuno militari, stipendiarius

dum fecit, nostra ætate, denarrari solet? Dicitur quod cum miles illius fuisset legionis seu regimenti quod omnibus terrori erat, ex hac vita abreptus in inferos detrusus est. Ibi cepit turbas concitare, & utilitas fuerat in mundo hoc, se gerere, tanquam magister & alter Rhodomontius nunc in hunc, nunc in illum irruebat; & ut ad pulsandos verberandosque homines fuerat exercitissimus, ita ibidem faciebat, Vbi Lucifer hominem ea non asperitate dumtaxat, sed feritate, quam ne immanissima quidem ferarum omnium fera possent attingere, suis consulendum esse rebus, ratus, illum inferno deturbavit. Simulque ferid inhibuit ne vnquam illius legionis miles in infernale consortium admitteretur. Ita ut cum & ipse Chiliarchus e vita excessisset, nec ab excubijs infernalibus suscipi posset: cepit tormentis bellicis infernalibus illa loca, ut susciperetur, impugnare & diuerberare.

Dicetis Æsopica hæc sunt ludiera, ad forum excogitata sunt hæc omnia, Quis dubitat? Sed non intelligitis Dominum Deum voce populi significare velle, quod Rolandos istos furiosos, qui orbem vniuersum territant, etiam impijssimi homines odio habeant, horreant, execrentur, quanto magis ipsa diuina bonitas? Si illi quibus cum his truculentis hominibus magna est conuentio, vix audent in suam eos admittere societatem, qua ratione suprema illa bonitas cui prorsus repugnant, eisdem in suam cooptabit & adsciscet gloriam?

Qua conuentio Christi ad Belial? Qui agnus ille beatissimæ Virginis filius, posset cum lupis his habitare: Habitabit lupus cum agno? An permittet, ut accipitres caniuori & turbulenti inter dulces & mites columbas in omnem æternitatem sortiantur mansionem? Patieturne filios suos pacificos, mites, misericordes, cum his bellicos ac trucibus hominibus in æternum vitam agere?

Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.

Matt. 9.

Cum hominibus dico, quorum vix in sepulchris
ossa quiescunt?

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.

Qui face Dardaneos ferroq; sequare Nepotes.

Cum hominibus, qui in medijs adhuc, quibus eru-
tiantur flammis, acri certamine inter se decertant,
ossa ossibus concutiunt, vt Ezeocles & Polynices fra-
tres facere dicuntur? Nequaquam, (animæ dilectis-
simæ) Hominibus itis implacabilibus in cælo locus
non est, sed mansueris dumtaxat, flexibilibus & ad
condonandum propensis, & ijs, qui quasi infantes, si-
ne felle sunt & cholera: aut si aliquo iræ motu fue-
rint correpti, vt infantes statim placantur & tran-
quillantur.

Oraculum Christi est, sic suos alloquentis discipu-
los: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini* *Matt. 18.*
sicut paruuli, non intrabitis in regnum calorū. Vere igitur
misericors est, qui quasi infans difficilimè irascitur,
facilimè sedatur, citissimè misericordia mouetur, et-
iam si is Religiosus sit nihil habens proprium, aut
pauper, cui nec pecunia est, nec panis què in eleemo-
synam eroget. Si etenim pauperes offensi citò ad mi-
sericordiam cōmoueantur, si suis inimicis beneuole-
tiæ signa exhibeant, verbis eos alloquantur pacificis
ac mollibus, vt eos ad pœnitentiam alliciant S. Bern.
eos appellat misericordes: *Sunt quidam misericordes,*
ait, de his, que ad ipsos non pertinent: qui scandalizantur, *Ber. ser. 40*
quod non datur omnibus abundanter: sic tamen, vt ipsi ne
in modico quidem grauentur, qui si misericordes essent, de
suo facere deberent misericordiam, si non possent de terrena
substantia, de voluntate bona darent eis, qui contra eos for-
tasse peccare videntur: darent dulce signum, verbum bonū,
quod est super datū optimum, vt eorum mentes ad paniten-
tiā reuocarent. Denique his omnibus, quos in peccato esse
cognoscerent, compassionem impenderent, & orationem.
Ecce non pluribus constat, vt quis sit misericors, &
vt talis cæli assequatur beatitudinem.

Igitur

Igitur maesti este animo, ó Christiani, pro virili parte, totoque molimine in huius excellentissima virtutis misericordiae exercitium incumbite. Imitemini bonum illú patremfamilias, illius erga filium suum prodigum clementiam vobis ob oculos proponite, ne propter voluptatulam, quæ comes est vindictæ, cruces animabus vestris perpetuas in hac vita adiungatis, & in alia tormenta & cruciatus sine fine duraturos vobis desponseris.

CONCIO DVODECIMA.

Græca. Thema. Καὶ ἐσπλαγγίσθη.

Vulgata. Et misericordia motus est.

Syriaca. Et misertus est eius.

Factâ breui repetitione, prout fert mea consuetudo, præcedentis sermonis, talis fuit propositio.

- | | |
|------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| Dicemus
hodie-
no die, | I. Quod mirum in modum conducat anima, & quomodo si quis misericors sit. & in pauperes largus & beneficus. Quod etiam corpori conferat, bonorumque temporalium multiplicationem adferat. |
| | II. Quod commodum hoc sit & salutare in moris articulo, & post mortem. |
| | III. Inuestina contra Christianos pietatis expertes & auaros, unde fit ut tales existant. |
- Aue.

I.

QVOD MIRVM IN MODVM CON-
ducat anima, & quomodo, si quis misericors sit. &
in pauperes largus & beneficus. Quod etiam corpori
conferat, bonorumque temporalium multi-
plicationem adferat.

Paulus